



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LXXV. De pœnitentia in mortem non differenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

utrumque sit una & simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus: quia unum genuit Verbum. Cæterum nos per unum verbum duo hæc audimus sive sapimus, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Atis quidem penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Discat quantum vult; ego sapientem non dixerim, dum nec timebit nec diliget Deum. Quomodo enim dixerimus in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Nam *initium sapientia timor Domini est*: consummatio amor; media sibi vendicat spes. Cui ergo nec iustitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiam per amorem: is planè dicit *in corde suo, non est Deus.* Deum enim non putat, quem nec iustum, nec pium reputat.

Psal. 110. b.
Ecli. 1. &
Prov. 1. b
*Insipiens est, cui:
nec timorem,
nec amorem
Deus sapit.*

S E R M O LXXIV.

De corruptione hominum.

Psal. 13. &
52. a*
*Anima cor-
ruptio triplex:*

*Corporis qua-
druplex.*

*Elementa in
quatuor corpo-
ris partibus
singulariter vi-
gentia.*

*Hominum qua-
tuor sortes, qua-
rum una san-
tum facit bo-
num.*

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Habet anima corruptionem suam, habet & corpus suam. Corruptio animæ triperita est; quadriperita est corporis. Corpus siquidem constat ex quatuor elementis. Anima vero triplici vi subsistit. Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rationalem, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis: in cognitione sui, & cognitione Dei. Concupiscentiam corrumpit vana gloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis, secundum quatuor elementa ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est ignis: in lingua quæ vocem format, aer: in manibus quarum propriè tactus est, terra: in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadriperita pestis. Oculos scilicet curiositas; linguam loquacitas; manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines corrupti & abominabiles, corrupti in anima, abominabiles in corpore; corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quatuor genera sunt hominum, quorum omnium nullam est quod faciat bonum nisi unum. Quidam enim sunt qui Deum nec intelligunt nec requirunt, & hi mortui sunt. Alii intelligunt quidem, sed non requirunt, & hi impii sunt. Alii requirunt, non autem intelligunt: & hi fatui sunt. Alii vero & intelligunt, & requirunt: & hi sancti sunt. De quibus solis dici potest, quia ipsi sunt qui faciunt bonum.

S E R M O LXXV.

De poenitentia in mortem non differenda.

Mal-

Sermones de Diversis.

725

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt a. Quid dissimulant homines in vita sua agere poenitentiam, & extrema de confessione praesumunt? Quomodo sub unius horae articulo revocari possunt aestimant omnia animae membra, cujus concupiscentiae & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare; sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus b, id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea, non magna tantum conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone Scripturarum unum Latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosa expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat c, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis quam vix multo tempore alii consequuntur: sed unde scis quod tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiae d, sed non liberabit maledicum à labiis suis. Audi quis ille sit; Maledictus qui peccat in spe.

a Psal. 115. a

Periculosum in mortem usque differre curam animae.

b Ibidem.

Nec tutum nisi exemplo Latronis in cruce demum poenitentia.

d Sap. 1. b

SERMO LXXVI.

De necessitate seu commendatione divina gratia.

Prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis a. Triplex nobis necessaria est benedictio, praeveniens, adjuvans, & consummans. Prima misericordiae, secunda gratiae, tertia gloriae. Praevinit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi triam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia praeviamur; aut agere bonum, donec adjuvemur à gratia, aut consummari in bonis possumus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immeritò dulcius sapit ea, quae non modò immeritos, sed & malè meritos praevinit: ut dum adhuc filii sumus irae, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitae, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animae dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quae praevinit; quia quae adjuvat, fortitudinis; quae consummat, plenitudinis est.

a Psal. 20. a
Benedictio triplex nob. necessaria.

Gratia necessitas ad bonum inchoandum & peragendum.

SERMO LXXVII.

De varia sorte hominum cognoscentium & non cognoscentium Deum; item cognitorum & non cognitorum à Deo.

Yyyy 2

Populus